

RAPOTO COMES HABSPVRGENSIS.



**R**apoto filius fuit Cōcelini & nepos Gunthra  
mi comitū in Altenburg. Is Concelinus moriens, duos filios reliquit, Rapatonem & Rodolphum. ex his Rodolphus monasteriū in Othmarsheim fundauit. alter uero Rapotus, omnis generis  
uirtutibus ornatus, suam ditionem ampliauit, atq; loca circa Murense monasteriū suo comitatui adiunxit. Habebat is Itā filiā Caroli ducis Lotharingie atq; Vuernheri Episcopi Argētinensis sororē  
uxorem, qui etiam generum & affinem suum in ea  
uicinitate mirum in modum adiuuerunt. Itaq; Ra  
potus ut ipsis propinquior esset, munitissimam ar  
cem Habspurg in Ergouia restaurauit, atq; suam  
sedem elegit. Ibidē animi & forritudine insignis sese comitē Altenburgensem  
& Habspurgēsem à noua arce appellare cœpit, atq; nobilissimā illā Austriaco  
rū principium familiam fundauit, circa annum Domini millesimū uicesimū. Ex  
eo enim Vuernherus prognatus, qui multorum liberorum pater suam proge  
niem hinc inde ad uarias Germanorum principum familias demisit. Ioannes  
Stumpff, lib. 7, cap. 13.